



I. N. I.

TYCHONIS BRAHEI

ORATIO:

*Quam in regiâ Academiâ Hafniæ publicè habuit in
concessu professorum & studiosorum, antequam susciperet
prælectiones Mathematicas in fine
Anni 1574.*



Larissimi Viri, vosque studiosi Adollescens, rogatus sum non solum à quibusdam vestrum amicis meis, sed ab ipso etiam Serenissimo Rege nostro, ut nonnulla in Mathematicis disciplinis publicè proponerem. Id muneris etsi à meis conditionibus & ingenij ac exercitationis tenuitate admodum sit alienum: tamen Regiæ Majestatis petitioni resistere non licuit, vestræ non placuit: & meapte sponte ab ineunte ætate eò propensus fui, ut non solum his studijs perdiscendis plurimum temporis & laboris impenderem, sed & alios etiam ad idem factitandum multoperè instigans, eorum conatus pro virili juvarem. Quantum enim hæc disciplinæ præ ceteris obtineant, tum evidentis certitudinis, tum incredibili jucunditate refertæ eruditionis, vix dicendo à quo piatn exprimi posse arbitror. Et non solum in demonstrationum certitudine & scientiæ pulchritudine: sed & veritate, multiplicique cognitionis copiâ reliqua artium genera longè antecellunt, adeò ut non immeritò ob id Mathematicæ, quasi solæ disciplinarum nomine, ob excellentiam, dignæ à veteribus appellatæ sint. Versatur autem hæc tota contemplatio, quæ Mathematica nomine venit,

Mathematicum excellentiam.

Mathematica circa quid versentur.